

LIB. II 8. 9

at postquam sera captiva est reddita poena,
 fortem illum Haemoniis Hectors traxit equis.
 inferior multo cum sim vel matre vel armis,
 mirum, si de me iure triumphat Amor? 40

9

Iste quod est, ego saepe fui: sed fors et in hora
 hoc ipso eiecto carior alter erit. •
 Penelope poterat bis denos salva per annos
 vivere, tam multis femina digna procis:
 coniugium falsa poterat differre Minerva 5
 nocturno solvens texta diurna dolo;
 visura et quamvis numquam speraret Ulixen,
 illum exspectando facta remansit anus.
 nec non exanimem amplectens Briseis Achillem
 candida vesana verberat ora manu, 10
 et dominum lavit maerens captiva cruentum
 propositum flavis in Simoenta vadis
 foedavitque comas et tanti corpus Achilli
 maximaque in parva sustulit ossa manu,
 cum tibi nec Peleus aderat nec caerula mater, 15
 Scyria nec viduo Deidamia toro.
 tunc igitur veris gaudebat Graecia natis,
 tunc etiam felix inter et arma pudor.
 at tu non una potuisti nocte vacare,
 impia, non unum sola manere diem! 20